

quando delegatio fit a superiori et remoto, tunc ex hac parte poterit restringi concessio: et ita docent auctores omnes citati. In reliquis vero constat, verborum proprietatem retinendam esse, et intra illam tantum esse ampliationem faciendam, juxta principia posita in cap. 2 et 3, quæ in præsentibus etiam applicari possunt. Tandem in usu hujus potestatis servanda est forma rescripti, ut, si persona sit eligenda, habeat omnes qualitates quæ in rescripto postulantur; si vero jam est electa, vel in rescripto est determinata, ipsa servet in dispensando formam in rescripto traditam: nam si excedat fines mandati, nihil faciet, juxta dicta supra in lib. 5, quæ latius ad materiam de Privilegiis in libro 8 applicabimus. Et multa etiam dixi in libro 6 de Voto, capite 16.

CAPUT XVIII.

UTRUM AD JUSTAM DISPENSATIONEM CAUSA JUSTA NECESSARIA SIT.

1. *De causa finali dispensationis.*—Incipimus dicere de finali causa dispensationis, a fine enim maxime sumitur justa dispensationis causa. Hæc autem causa postulari potest vel ad honestatem actus dispensandi, scilicet, ut licite petatur ex parte subditi, et juste etiam ac licite ex parte superioris concedatur, vel etiam ad valorem dispensationis, et usus ejus. Nunc ergo solum de justitia seu honestate agimus; in sequenti vero capite de valore dicemus. Intelligitur autem quæstio præcipue de ipsomet legislatore dispensante in lege sua, inde enim a fortiori constabit resolutio de inferioribus dispensantibus in legibus superiorum per potestates sibi commissas: nam si superiori non licet talis dispensatio, multo minus licebit inferiori, ut a fortiori ex sequenti capite patebit.

2. Ratio ergo dubitandi generalis esse potest, quia, si justa causa esset semper necessaria ad dispensandum, non esset necessaria auctoritas superioris dispensantis. Probatur consequentia, quia justa causa per se est sufficiens ad excusandum ab obligatione legis humanæ, de qua tractamus. Vel certe ad summum esset necessarius actus superioris per modum interpretationis authenticæ, ut constet talem causam esse justam, et sufficientem ad excusandum a lege, ipse vero superior non tolleretur obligationem, et consequenter non dispensaret. Secundo, est specialis ratio dubitandi in ipso legislatore, quia lex sola illius voluntate posita est; ergo per eandem auferri potest li-

cite absque alia causa. Probatur consequentia, tum quia superior est dominus suæ voluntatis, tum etiam quia non subditur legi, tum denique quia potest sua voluntate totam legem auferre; ergo etiam ex parte. Tertio, quia dispensare sine causa in lege non est intrinsece malum, nec est malum quia prohibitum, respectu legislatoris; ergo nullo modo. Major patet, tum ex usu, quia Papa sæpe dispensat sine causa, idque scienter et expresse, non est autem præsumendum male facere; ergo signum est illud non esse intrinsece malum, alias nunquam liceret; tum etiam quia nulla potest assignari virtus cui intrinsece repugnet talis actus, non est enim contra justitiam vel contra charitatem, quia talis dispensatio prodest accipienti, et nemini est nociva. Altera vero pars patet, quia vel hoc est prohibitum per eandem legem in qua fit dispensatio, et hoc non, quia tantum obligat circa suum actum, quem prohibet vel præcipit; unde dici non potest legislator transgredi legem in qua sine causa dispensat, quia non agit contra obligationem ejus, sed tollit illam; vel hæc prohibitio est per aliam legem positivam, et hoc etiam dici non potest, quia nulla talis assignari potest, præsertim respectu ipsius principis, seu legislatoris.

3. *Dispensare sine causa an sit licitum.*—Propter hæc opinari posset aliquis non esse (per se loquendo) peccatum dispensare in propria lege sine causa, sed ad summum ex accidenti, quando id generaret scandalum vel perturbationem in republica, aut daret occasionem aliis subditis violandi legem, aut si ob talem dispensationem gravamen injustum in alios redundaret, quæ omnia extrinseca sunt, et separari possunt a tali actu; hoc ergo modo reputari potest ille actus per se non malus, sed indifferens, ac subinde honestari posse ex quocumque alio fine, sine justa causa quæ specialem rationem præbeat dispensandi. Sicque aliqui auctores dixisse videntur in supremo principe non esse necessariam causam ad dispensandum, Gloss. ult. in l. *Relegati*, ff. de Pœnis; nam, cum lex dicat neminem posse dispensare in pœna exilii, nisi imperatorem ex aliqua causa, addit Glos.: *Magna et justa causa est ejus voluntas*, quam ibi Bart. approbat, n. 4. Eandem opinionem videtur tenere Innoc. in cap. *Cum ad monasterium*, de Statut. Monachor., n. 3 et 4, quem alii ibi sequuntur, et Panormitan. in cap. *Diversis*, de Cleric. conjug., n. 4, in cap. 2 de Schismat., n. 4; Dec. in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit., n. 29; Rosel.,

verb. *Dispensatio*, n. 6; Felin., referens plures in cap. 2 de Constitut. fallent., 4, n. 23; ubi Anton. de Butrio dixit solam liberalitatem Papæ sufficere pro causa dispensationis; quod approbat Felin. in cap. *Ad audientiam*, 2, de Rescript., n. 4, qui clarius quam alii declarat hanc sententiam procedere non solum in foro contentioso, sed etiam in foro conscientie; existimo tamen etiam in hoc committi æquivocationem, ut infra dicam. Citatur etiam Turrecrem. in cap. *Singula*, 89 dist., n. 14, circa finem, et plures alios pro hac sententia refert Sanci., l. 8 de Matrim., disp. 18, n. 2. Verumtamen hi auctores, si attente legantur, non tractant punctum hujus quæstionis, an possit legislator licite, sed simpliciter an possit dispensare in sua lege sine causa, et hoc modo affirmant, et interdum declarant, talem dispensationem reddere tutum dispensatum apud Deum et in conscientia, ut patet ex Felin. supra, et Sylv., verb. *Dispensatio*, q. 13; Angel., n. 3; et Palud. 4, d. 38, quæst. 4, art. 4, n. 4. Existimo ergo vel nullos vel certe paucos auctores tenuisse sententiam illam in dicto sensu, quod est maxime attendendum, ne alicui propter auctoritatem tot doctorum probabilis fortasse videatur.

4. *Requiritur causa justa ut licite dispenset, etiam princeps supremus, vel summus Pontifex.*—Dicendum ergo est legislatorem, etiamsi princeps supremus vel summus Pontifex sit, non posse licite dispensare in lege sua sine causa justa, vel proportionata legi in qua dispensat. Est communis theologorum; tenet D. Thomas 1. 2, q. 97, art. 5; Cajetanus, q. 96, art. 4, et alii expositores ibi; et Soto, l. 1 de Just., q. 7, art. 3. Ex juris autem peritis idem declarant Hostiens. in Sum., tit. de Filiis Presbyt., in fine, verb. *Non omilto*; Panormitan., in cap. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit., n. 17, et c. *Extirpandæ*, § *Qui vero*, de Præbend. in repet., n. 44, et in cap. *Per venerabilem*, qui Filii sint legit., n. 4, ubi ita exponit sententiam Innoc. supra allegatam, et dicta doctorum qui illum sequuntur. Idem ex professo Turrecrem., sententiam D. Thom. ad litteram sequens, in cap. *Consequens*, dist. 11; Rebuff. in Concordant., tit. *Forma mandati*, verb. *Dispensationes*, et in Praxi, tit. de Dispens. in plural. benef., n. 55, ubi n. 56 dicit hanc esse communem sententiam theologorum, et fere omnium juris canonici interpretum; et idem tenet Navarr. in c. *Si quando*, de Rescript., except. 8, n. 13, et alii communiter, quos supra Sanc. refert, n. 3; et in sequentibus alios designabimus.

5. *Glossa supra allegata rejicitur.*—Atque hæc sententia est consentanea juri canonico, 1, quæst. 7, cap. *Necessaria*, et sequentibus, ubi tunc solum permittitur a Patribus dispensatio, quando justa causa intercedit: et dicitur, illa cessante, debere etiam indulgentiam cessare, ibidem in c. *Quod pro remedio*. Multum etiam juvat Trident., sess. 25, cap. 18 de Reform., ubi indicat dispensare sine justa causa nihil aliud esse quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Et ideo, sess. 24, c. 5 de Reformatione, statuit ut in contrahendis matrimoniis dispensationes non dentur, nisi ex causa. Secundo, consonat dicta lex *Relegati*, de Pœnit., nam, de imperatore dicens posse dispensare in pœna jure imposita, addit *ex causa aliqua*; perperamque addidit Glossa voluntatem principis esse magnam causam: nam per se manifestum erat imperatorem non dispensare, nisi ex sua voluntate; ergo lex illa ultra voluntatem requirit causam. Nisi forte Glossa illa intelligatur de voluntate rationabili; nam hæc causam involvit. Ad idem induci potest lex 4 in princip., ff. de Damn. infect., quatenus dicit prætorem *posse definitum terminum ex causa dare*.

6. Tertio, ac præcipue probatur assertio ex naturali jure, quod D. Thomas colligit ex verbis CHRISTI, Luc. 12: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens*. Nam princeps, etiamsi sit auctor legum, non est dominus (ut sic dicam), sed dispensator illarum; ergo, etiam quando in illis dispensat, se gerere debet ut fidelis dispensator et prudens, et non ut absolutus dominus. At, si absque causa unum vel alium liberet ab obligatione legis, nec prudenter nec fideliter dispensat; ergo abutitur suo munere, et peccat. Primum antecedens probatur, quia Pontifex vel etiam rex non est absolutus dominus communitatis sibi subditæ, sed pastor et rector, et ideo non potest leges ponere in suam privatam utilitatem, sed pro communi civium utilitate, ut supra dictum est; et propterea legislatores a Paulo vccantur ministri, et dispensatores Dei; ergo ipsa legislatio est quædam fidelis administratio, seu distributio obligationis quæ per legem imponitur. Prima vero consequentia probatur, quia ejusdem potestatis est in legislatore actus dispensandi in lege, cujus est actus ferendi legem, ut constat; ergo est actus non domini absoluti, sed administrationis, et (ut ipsum nomen præ se fert) est actus dispensatoris, ut sic; ergo etiam debet esse fidelis et prudens. Quod autem dispensatio sine causa facta non

sit prudens, per se notum videtur, quia non est consentanea rectæ rationi, nec fini potestatis a qua procedit; nam illa per se est propter bonum commune; illa autem dispensatio est tantum propter privatum commodum vel affectum, et ita est abusus potestatis; item quia lex est commune bonum, et illa vulneratur sine causa; denique quia uniformitas ac proportio inter membra corporis per se spectat ad totius corporis bonum, quod etiam per tales dispensationes læditur et deformatur. Ut hæ rationes probant etiam illum actum non esse fidelitatis debitæ a dispensatore, quia tenetur, ex vi fidelitatis debitæ ratione sui muneris, convenienter uti sua potestate ad finem ejus, et conservare ac promovere commune bonum. Nam, ut Paulus ait 2 Corinth. 10, potestas non est data in destructionem, sed in ædificationem. Et ita soluta manet secunda ratio dubitandi, quæ fortasse probat talem dispensationem esse validam, non tamen justam, quia princeps non est ita dominus suæ voluntatis ut non subdatur legi naturali et propriæ. An vero idem sit de ablatione totius legis infra dicitur.

7. Sed objici potest contra hunc discursum; nam sequitur malitiam hujus actus dispensandi sine causa in lege tantum esse contra fidelitatem, ac subinde tantum esse ex suo genere venialem: consequens est creditu difficile; ergo. Sequela declaratur, quia, ex hoc quod actus sit contra prudentiam, non habet actus specialem malitiam: nam ille defectus generalis est omni peccato; speciem autem sumit ex materia virtutis vel vitii moralis in qua versatur. Illa ergo malitia imprudentis dispensationis tantum est contraria fidelitati morali; fidelitas autem ex suo genere tantum obligat sub veniali, sicut et veritas; ergo illa malitia ex suo genere tantum est venialis. Hæc objectio duo petit inter se connexa; unum est, ad quam virtutem pertineat obligatio hæc non dispensandi in lege, nisi ex causa justa: aliud est, quam gravis sit ex genere suo transgredi hanc obligationem.

8. Et incipiendo ab hoc posteriori puncto, Navar., in Summ., prælud. 9, n. 14, docuit hoc tantum esse peccatum veniale, citatque Cajet. 1. 2, q. 96, art. 5, ubi Cajetanus solum dicit male facere principem, se vel alium eximendo ab obligatione legis sine causa; non tamen peccare contra legem in qua dispensat, sed contra alia principia naturalia, præsertim contra illud: *Turpis est pars quæ non consonat suo toti*. Quia vero hæc turpitudine videtur levis, ideo Navarrus videtur Cajetanum allegasse pro

hac sententia, et in eandem inclinat Soto, lib. 1 de Justitia, quæst. ult., art. ult., licet non declaret aperte. Eandemque secuti sunt aliqui moderni, quos refert et sequitur Sanci., disp. 18, n. 7. Non explicant autem hi auctores cujus speciei sit malitia quam habet actus male dispensandi ex objecto suo, sed dicunt ex circumstantia extrinseca posse esse mortalem ratione scandali, vel notabilis nocenti, vel injusti gravaminis aliorum: ex intrinseco autem objecto, quatenus præcise est exemptio a lege sine causa, non videri rem tanti momenti, ut ad peccatum mortale ex genere sufficiat.

9. *Peccatum esse in principe dispensare in lege sua sine causa, et hoc mortale ex genere suo.*—Ego vero censeo in principe esse peccatum mortale ex genere suo dispensare in lege sua sine causa. Ita sentit Cajetanus in Summ., verb. *Dispensatio*, dum ait esse hoc peccatum veniale in parvis, unde videtur supponere in magnis esse mortale, ac subinde ex genere esse tale. Postea vero ita id explicat, ut potius significet tantum esse mortale quando dispensatio redundat contra jus divinum vel naturale, et consequenter est invalida; et illum imitatur Armil. ibi, num. 13. Clarius hoc sentit Valent., 2 p., d. 7, q. 5, punct. 9, qui etiam ad hoc inducit Cajetan., 1. 2, quæst. 96, a. 5. Apertius tradit Covar., in 4, 2 p., cap. 6, § 9, n. 6; et inclinat Soto, in 4, d. 39, art. 2, in fine corporis, ibi, *Fas non est*; et sequuntur quidam alii Summistæ quos refert Sanci.; et eandem supponere videntur omnes qui tenent talem dispensationem esse invalidam, quos capite sequenti referam. Ac subinde hoc fatentur de inferiori dispensante in lege superioris sine causa, ut sumitur ex Navar. in Summ., cap. 25, num. 5; ubi rationem reddit, quia hæc est injustitia gravis, quæ est peccatum mortale. Hæc vero ratio cum proportionem, licet non cum æqualitate, ad præsens accommodari potest, ut sensit Covarr. supra, et simul per hanc rationem explicatur primum quæsitum, scilicet, ad quam virtutem pertinet hæc circumstantiam in dispensatione observare, nimirum, ut non nisi ex justa causa fiat, seu cujus speciei sit malitia contraria.

10. Ratio ergo est, quia legislator ex justitia tenetur non dispensare in sua lege sine justa causa; ergo peccat contra justitiam aliter dispensando; ergo illud peccatum est mortale ex genere suo: nam violatio cujuscumque justitiæ ex suo genere mortale peccatum est, juxta doctrinam omnium; ergo. Consequentia claræ sunt. Primum vero antecedens probatur, quia

triplicis justitiæ obligatio in præsentem videtur concurrere. Primo, commutativæ, quia princeps ex officio tenetur talem dispensationem non dare; obligatio autem ex officio maxime spectat ad justitiam commutativam. Secundo, justitiæ legalis, ex qua tenetur princeps nihil agere contra commune bonum; talis autem dispensatio ex se multum nocet communi bono, et est illi contraria. Tertio, distributivæ, et hæc videtur esse proxima, et contra illam videtur esse proprie specifica malitia talis actus, nam directe est acceptatio personarum, ut recte docuerunt Abulens., Matth. 22, q. 117; et Soto, 3 de Justit., q. 6, art. 5, ad 3; et Anton., 2 part., tit. 1, cap. 20, § 2, in fine. Acceptio autem personarum opponitur justitiæ distributivæ, ut constat ex 2. 2, quæst. 63. Unde ex suo genere est peccatum mortale, maxime quando radicatur in obligatione officii, ut ibidem tractatur. Ita vero est in præsentem. Et declaratur: nam a principio ferre legem non simpliciter pro tota communitate, sed excipiendi aliquos ad libitum sine causa, contra justitiam distributivam est, et de se mortale contra totam illam communitatem: hoc autem fit virtute per talem dispensationem; ergo. Confirmatur, nam illud peccatum est mortale ex genere, quod intra propriam speciem potest esse mortale ex materiæ gravitate; ita vero est in præsentem, ut patet exemplis. Quis enim dicat non esse mortale dispensare in observatione Quadragesimæ sine causa, vel cum sacerdote in onere recitandi officium pro libito, et similia? Certe statim actus apparet adeo gravis et deformis, ut peccatum mortale judicetur. Item, licet fortasse de facto ex illo non sequatur scandalum quia occulte fit, de se est scandalosum, et offendit Ecclesiam seu rempublicam, quod est indicium in se ac de se esse rem gravem. Et hanc rationem indicat Valent. supra.

11. *Princeps non potest secum dispensare sine causa.*—Confirmatur hæc resolutio, simul expendendo quæstiunculam aliam hic occurrentem, an, scilicet, hæc doctrina locum habeat etiam in principe secum dispensante. Respondendum enim est affirmative: nam, supposita doctrina supra data l. 3, principem suis legibus obligari, consequenter sequitur eum peccare secum dispensando in tali lege, alioqui inutilis et ridicula esset talis obligatio, si posset princeps illam a se tollere sine peccato, sua voluntate sola, et sine causa. Et ita fatentur Cajet., Soto, Navarr. et omnes. Addo vero hanc culpam in principe esse gravem, et ex suo ge-

nere peccatum mortale. Probatur eadem ratione, quia alias nunquam obligaretur sua lege sub culpa mortali: nam etiam esset ridicula obligatio in illo gradu, si sua voluntate et sine causa posset auferre a se obligationem illam sine peccato mortali. Quis enim est qui, volens non servare aliquam legem, non prius auferat a se obligationem gravem ejus, si potest, etiamsi in illa ablatione peccet venialiter, ut caveat peccatum mortale. Denique nullius momenti est obligatio quam potest quis a se auferre suo arbitrio, et sine causa; ergo, ut illud prius dogma, quod princeps obligatur suis legibus juxta gravitatem earum solidum sit, necesse est fateri principem non posse a se auferre pro sua voluntate talem obligationem sine gravi causa, quin in tali dispensatione peccet mortaliter. Hinc ergo concludimus tales dispensationes sine causa esse peccatum mortale ex genere suo, quia in principe respectu sui non est ita gravis ex aliquo extrinseco accidente, sed præcise ex vi suæ specificæ malitiæ, quia est contra justitiam distributivam, quæ in illa acceptione personæ graviter læditur, etc. Idem ergo erit respectu dispensationis subditorum: nam malitia est ejusdem speciei, et, licet, ex circumstantia personæ circa quam, aggravetur in principe dispensante, tamen (ut indicat Cajetanus dicta quæst. 96, art. 5) hoc non obstat quominus etiam circa subditos peccatum sit mortale ex genere, et possit esse in individuo mortale, ex gravitate materiæ. Licet in levioribus legibus vel circumstantiis earum sæpe possit esse peccatum veniale ex levitate materiæ, ut in aliis rebus contingit.

12. *Subditus petendo dispensationem sine causa peccat mortaliter ex genere suo ex uno capite, ex alio autem venialiter tantum.*—Et hinc etiam expeditur aliud dubium hic occurrens, quantum, scilicet, peccet subditus petendo dispensationem sine causa. Nam quod peccet, omnes allegati auctores fatentur, estque manifestum supposita dicta resolutione, quia petit rem irrationabilem et communi bono contrariam, et quia vult discrepare a toto corpore sine causa. De quantitate vero culpæ eadem sunt opiniones. Dico autem breviter illam actionem subditi dupliciter considerari posse. Primo, præcise, ut est actio propria subditi, et voluntas cujusdam inordinati objecti; alio modo, ut est inductio superioris ad actionem iniquam, et consequenter est cooperatio ad illam. Priori modo potest excusari subditus a culpa mortali etiam ex genere, quia non tenetur propria obligatione justitiæ ad illam con-

formitatem cum toto, ut capite sequenti magis declarabimus. At vero posteriori ratione peccat ex suo genere mortaliter, quia cooperatur peccato mortali, et est causa illius: in individuo autem ita peccabit sicut superior quem inducit. Et ita sentit Covarr. supra. Poterit tamen accidere ut subditus ignorantia excusetur, et tunc poterit ipse nihil peccare, putans Prælatum nihil peccare, et nihilominus fieri etiam potest ut Prælatum non excusetur, quia vel non ignorat, vel ignorantia, quæ in subdito est invincibilis, in Prælato est culpabilis, propter majorem occasionem et obligationem sciendi. Quocirca, si subditus bona fide procedat, et petat dispensationem, putans se habere causam, vel fideliter narrans factum, et remittens superiori iudicium causæ, nihil peccabit, etiamsi non sit certus non peccare Prælatum, quia in dubio pro illo præsumere debet, ut sæpe dictum est, et in materia de voto in simili diximus cum D. Thoma 2. 2, q. 88, art. ult. ad 2, et tradit etiam Navarrus dicto prælud. 9, n. 13.

13. Sic etiam e contrario, si subditus mala fide procedat, et decipiat Prælatum falsam causam allegando, ipse peccabit, et Prælatum esse poterit a culpa immunis; et hanc culpam existimo esse mortalem in subdito ex genere suo, quia de se gravem injuriam Prælato infert, nisi ex levitate materiæ minuatur. An vero, si Prælatum offerat dispensationem sine causa subdito non petenti, ille peccet acceptando, Sanc. supra, n. 8, ait, peccare eo modo quo Prælatum, id est, vel venialiter, vel mortaliter, prout Prælatum peccaverit, quia cooperatur peccato illius, cum dispensatio non sortiatur suum effectum, donec acceptetur. Sed dicendum censeo tunc subditum non peccare ex vi cooperationis, quia illa non est vera cooperatio, quia dispensatio a solo superiori datur, et ad illam, ut procedit a superiori, subditus non concurrat, sicut cooperatur quando superiorem excitat vel inducit. Nec refert quod acceptatio sit necessaria ad effectum, tum quia non est necessaria ut concausa, sed ut conditio necessaria, quam ponere, solum est permittere effectum, non facere; tum etiam quia posita dispensatione ex parte superioris, ponitur tota malitia gravis illius actionis, et, quod sequatur effectus, non habet novam malitiam, et ideo acceptare aut velle illum effectum non est in subdito cooperatio ad malum. Potest vero cogitari ibi aliqua malitia in voluntate talis effectus sine cooperatione, quæ venialis ad summum est, si tamen aliqua est,

quod nunc non definio, donec dicam de culpa ejusdem subditi in usu talis dispensationis, quam in sequens caput reservo, quia supponit aliam de valore talis dispensationis, et ibi etiam dicemus an teneatur Prælatum talem dispensationem revocare.

14. *De qualitate causæ ad licite dispensandum.* — Superest respondere ad rationes disputandi in principio positas, et expedire alia brevia dubia, quæ in eis petuntur. Prima ergo ratio dubitandi petit generatim qualis debeat esse causa justa ad licitam dispensationem sufficiens; triplex enim causa potest intelligi; una per se sufficiens ad excusandum, vel certo, vel sub dubio; alia per se non excusans, sufficiens tamen ut possit tolli obligatio; alia quæ licet per se non tollat obligationem, et reddat justam dispensationem et obliget Prælatum ad dispensandum. Dico ergo non esse necessariam primam causam. Et hoc solum concludit illa prior ratio dubitandi. Nam, si certo constet causam seu necessitatem esse talem ut per se excuset, tunc non solum dispensatio vera, sed etiam nec interpretatio Prælati necessaria est; si vero sit talis quæ rem faciat dubiam, et dubium non possit per doctrinam vel aliam diligentiam expelli, tunc ad superiorem recurrendum erit, si fieri possit, ut interpretetur potius quam dispense, licet interpretatio in illo casu soleat large dispensatio vocari. Ad propriam ergo dispensationem non est necessaria tam rigorosa causa. Nec etiam est necessaria tertia, quæ superiorem obliget, sed sufficiet media, quæ nimirum satis sit ut sine acceptione personarum possit pars excipi a generali onere et regula totius corporis. Sæpe enim occurrere potest causa sufficiens ad prudenter judicandum, posse fideliter et juste subditum eximi ab aliquo onere, vel quia in eo non ita militat ratio legis, sicut in aliis, vel quia aliæ occasiones vel impedimenta occurrunt, quæ licet non cogant, prudenter inducunt ad misericordiam, vel benignitatem, aut liberalitatem cum illo ostendendam, ut canones frequenter loquuntur, et paulo post magis explicabimus.

15. *Ubi fuerit major obligatio major causa requiritur ad dispensationem.* — Quæri autem hic potest quæ sit causa justa ad dispensandum in humana lege, quam quæstionem tractavi de dispensatione voti, lib. 6, cap. 17, et doctrina ibi data potest in præsentia cum proportionem applicari; unde breviter adverte quæstionem hanc posse tractari et comparate et absolute. Priori modo quæri solet an sit necessa-

ria tam gravis causa ad dispensandum in legibus humanis, sicut in juramentis, aut votis, aut aliis quæ dicuntur attingere jus divinum aut naturale. Quam comparisonem attingit Navarrus in Sum., cap. 12, n. 57, et simpliciter dicit difficiliorem esse dispensationem in his quæ jus divinum attingunt, ac subinde majorem causam ad illam postulari; Soto vero, l. 7 de Just., quæst. 4, art. 3, § *Hoc autem*, quæsitum hoc de voto proponens, putat non habere unum responsum; nam interdum lex difficilius relaxatur quam votum, interdum vero e contrario. Hæc ergo quæstio supponit aliam, quam tractavi l. 1 de Voto, cap. 3, quæ sit major obligatio legis humanæ an voti, et dixi pro materiæ qualitate interdum unam, interdum aliam esse graviorem, ita ergo dicendum est de causa dispensationis: nam ubi fuerit major obligatio, ibi major causa postulat.

16. Absoluta præterea interrogatio, scilicet, quam gravis causa sufficiat, vel quomodo possit de illa iudicium ferri, non potest etiam certa responsione definiri, sed prudentis arbitrio definienda est, ut etiam de voto dixi. Capita vero seu loca ex quibus hæc causa sumenda est numerantur a Gratiano in § *Nisi rigor*, 1, q. 7, dicente: *Pro tempore, pro persona, intuitu pietatis, necessitatis, vel utilitatis, et pro eventu rei*, quæ per discursum totius quæstionis variis canonibus comprobatur. Sed si attente considerentur, omnia continentur in illis tribus capitibus, *necessitas, utilitas et pietas*; hæc tamen secundum alias circumstantias variantur. Nam temporis conditio facit ut tunc occurrat necessitas vel utilitas; et idem suo modo est de conditione personæ, et rei eventu, sub quo continetur quælibet occasio, et ad hæc etiam reducitur opportunitas loci: nam ex his omnibus surgere solet necessitas vel utilitas, ut ex se constat, et ex decretis a Gratiano ibi inductis, et ex c. *Fraternitas*, d. 34, et optime ex cap. *Necesse est*, dist. 29, c. *Ipsa pietas*, 23, q. 4; et in universum loquendo, interdum hæc causa potest sufficienter oriri ex uno vel altero capite, aliquando vero ex multis simul: nam singula quæ non prosunt, simul collecta juvant, ut constat.

17. *Dispensatio juris publici et privati quando dicitur.* — Atque ex hac numeratione causarum colligi possunt tres aliæ divisiones dispensationis. Prima est in illam quæ est boni publici vel privati. Sicut enim lex, licet sit propter commune bonum, nihilominus interdum est juris publici, interdum privati, ut supra tradidimus: ita dispensatio, quando pro

immediata causa habet publicam utilitatem, dicitur juris publici; quando vero est proxime propter utilitatem personæ petentis dispensationem, dicitur juris privati. Unde etiam colligitur quomodo intelligendum sit quod divus Thomas, dicta quæst. 95, art. 4, ait, ad fidelitatem dispensatoris pertinere ut intentionem habeat ad commune bonum; indicare enim videtur necessarium esse ad justam dispensationem ut causa ejus sit necessitas aliqua publica, vel communis utilitas. Unde Soto, dicto art. 3, intulit dispensationem non posse esse justam, nisi in commune bonum cedat; nam, sicut lex pro communi bono constituitur, ita pro illo dispensanda est. Et Panorm., in cap. *De multa*, de Præbend., n. 8, referens eundem locum D. Thomæ, ait dispensationem non propter privatam causam, sed propter publicam debere concedi. Ac denique Tridentinum, sess. 25, cap. 18 de Reform., leges dicit tantum debere relaxari ut communi utilitati satisfiat.

18. *Quo sensu debet dispensatio respicere bonum commune.* — Non est autem intelligendum ad justam causam dispensationis necessarium esse ut immediate pertineat ad commune bonum, satis enim est ut immediate contineat tale bonum illius personæ cum qua dispensatur, vel propter quam dispensatur, quod redundet in commune bonum: nam bonum partis in bonum totius corporis redundat, quod patet ex usu et ex ratione, quia legislator ita debet communi bono prospicere, ut etiam habeat curam singulorum quoad fieri possit; ergo ita etiam debet dispensare obligationem legis ut necessitatibus singulorum subveniat, salvo communi bono, et ideo recte dixit Grat. dispensationem concedi pro tempore et persona. Et D. Thomas dixit dispensationem recte dari, quando lex, quæ communitati expedit, huic personæ non expedit propter periculum mali, vel impedimentum majoris boni; tunc ergo subvenire per dispensationem redundat in commune bonum, et ita est justum; erit autem injusta dispensatio si sit propter privatum commodum, quod in commune bonum non redundat.

19. *Dispensatio voluntaria et necessaria quando dicitur.* — Secunda divisio dispensationis quæ ex dictis colligitur, est in voluntariam et necessariam, seu justam et debitam, vel non debitam, licet justam. Aliqui enim auctores in hoc nihil distinguunt, sed quoties intercedit justa causa dispensandi, putant dispensationem esse debitam. Ita Sylvester verb. *Dispen-*